

www.e-rara.ch

Marc. Tul. Ciceronis Epistolarum familiarium libri XVI

Cicéron

Friburgi Helvetiorum, 1608

Bibliothèque cantonale et universitaire Fribourg

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-135309>

Liber nonus. M. T. Cicero M. Terentio varronis S.D.I.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

viro satius est, quàm hos videre. Quod si timor uestra
 crudelitatis non esset, eiecti iam pridem hinc essemus. Nā
 hic nunc præter foeneratores paucos, nec homo, nec ordo
 quisquam est, nisi Pompeianus. Equidem iam effegi, ut
 maximè plebs, & qui antea noster fuit populus noster es-
 set. Cur hoc, inquis? in o reliquias expectant. Vos inui-
 tos vincere coëgero, irritavi in me Catonem. Vos dor-
 mitis, nec hæc adhuc mihi videmini intelligere, quam
 nos pateamus, & quàm simus imbecilli. Atque hoc nul-
 lius præmij spe facio: sed, quod apud me plurimum solet
 valere, doloris atque indignitatis causa. Quid istic faci-
 tis? prælium expectatis, quod firmissimum est? Vestræ
 copias non novi: nostri valde depugnare, & facile algere
 & esurire consueverunt. Vale.

M. T. CICERONIS EPI-
 STOLARVM FAMILIARIVM,

LIBER NONVS,

M. T. CICERO M. TERENTIO
 VARRONI S. D. I

EX his literis, quas Atticus à te missas mihi legit,
 quid ageres & ubi esses, cognovi: quando autem
 te misuri essemus, nihil sanè ex eisdem literis potui su-
 spicari. In spem tamen venio, appropinquare tuum
 aduentum: qui mihi utinam solatio sit, etsi tot, tantis-
 què rebus urgemur, ut nullam alienationem, quis-
 quam non stultissimus sperare debeat: sed tamen aut te
 potes me, aut ego te fortasse aliqua re iunare. Scito enim
 me, posteaquam in urbem venerim, redisse cum ve-
 teribus

EPIST. FAM.

peribus amicis, id est cum libris nostris, in gratiam: essi
 non idcirco eorum usum dimiseram, quod ijs succen-
 serem, sed quod eorum me suppudabat. Videbar
 enim mihi, cum me in res turbulentissimas infidelissi-
 mis socijs demissem, præceptis illorum non satis paruis-
 se. Ignoscunt mihi, & reuocant in consuetudinem pri-
 stinam; teque, quod in ea permanseris, sapientio-
 rem, quam me, dicunt fuisse. Quamobrem quando placatis
 his utor, videor sperare debere, si te viderim, & ea que
 premant, & ea que impendeant, me facile transiu-
 rum. Quamobrem siue in Tusculano, siue in Cu-
 mano adesse tibi placebit: siue (quod minimè velim)
 Rome: dum modo simul simus, perficiam profectò,
 ut id utriusque nostrum commodissimum esse videatur.
 Vale.

CICERO VARRONI

S. P. D. 2.

Caninius idem tuus, & idē noster, cum ad me nū-
 per vesperi venisset, & se postridie manē ad te itu-
 rum esse dixisset: dixi ei, me daturum aliquid manē, &
 ut peteret, rogavi. Conscripsi epistolam nocturnā: nec ille ad
 me rediit, oblitum credidi. Attamen eam ipsam epistolā
 missem per meos, nisi audissem ex eodem postridie ta-
 manē ē Tusculano exiturū. At ibi repente, paucis post
 diebus, cum minimè expectarem, venit ad me Caninius
 manē: proficisci ad te statim dixit: etsi erat, & illa
 illa epistola, præsertim tantis postea nouis rebus allatis:
 tamen perire meam lucubrationem nolui, & eam ipsam
 Caninio dedi: sed cum eo & homine docto & amanti-
 simo tui loquutus ea sum, quæ pertulisse illum ad te exi-
 stimo. Tibi autem idem consilij do, quod mihi metipsi:

ut vitemus oculos hominum, si linguas minus facile possumus. Qui enim victoria se efferunt, quasi victos nos inueniuntur. Qui autem victos esse nostros moleste ferunt, nec dolent vincere. Quere fortasse cur cum hæc in vrbe sint, non absim, quemadmodum tu. Tu enim ipse, qui & me & alios prudentia vincis, omnia, credo vidisti, mihi domino te sefellit. Quāvis quis est tam lyncæus, qui in tantis tenebris nihil offendat, nusquam incurrat? Ac mihi quidem iam pridem venit in mentem bellum esse aliquod exire, ut ea quæ agebantur hic, quæq; dicebātur, nec viderem, nec audirem. Sed calumniabar: pse: putabā, qui obuiam mihi venisset, ut cuiq; commodum esset, suspicaturum, aut dicturum etiam, si non suspicaretur. Hic autem metuit, & ea refugit, aut aliquid cogitat, & habet narem paratam. Deniq; leuissimè qui suspicaretur, & qui fortasse me non nouisset optimè, putaret me idcirco discedere, quod quosdam homines oculi mei ferre non possent. Hæc ego suspicans adhuc Romæ maneo: & tamen delectatio, consuetudo diuturna callum iam obduxit stomacho meo. Habes rationem mei consilij. Tibi igitur hæc: censeo latendum tantisper ibidem, dum deferuescat hæc gratulatio, & simul dum audiamus, quemadmodum negotium confectum sit, confectum enim esse existimo. Magni autem intererit, qui fuerit victoris animus, qui exitus rerum, quanquā quæ me cōiectura ducet, habeo sed expecto tamen. Te verò nolo, nisi ipse rumor id rancus erit factus, ad Baias venire. Erit enim nobis honestius etiam, cum hinc discefferimus, videri venisse in illa loca ploratum potius, quam natatum. Sed hæc tu melius: modò nobis stet illud, vna vivere in studiis nostris, a quibus antea delectationem, modò solatium petebamus: nunc verò etiam salutem deesse non arbitramur.

EPIST. FAM.

Si quis adhibere uolet, non modò ut architecto, verum etiam ut fabros ad edificandam Rempub. poterimus & nos libenter accurrere: sin nemo uietur opera, tamen & scribere & legere πολιτεας. & si minus in curia atque in foro, at in literis & libris, ut doctissimi ueteres fecerunt, nauare Reipub. & de moribus ac legibus querere. Mihi hæc videntur. Tu quid sis acturus, & quid tibi placeat, pergratum erit, si ad me scripseris. Vale.

CICERO VARRONI

S. D. 3.

ET si quid scriberem non habebam, tamen Caninius ad te cuncti non potui nihil dare. Quid ergo potissimum scribam? quod uelle te puto, citò me ad te esse uenturum. Etsi uide, quaeso, satum rectum sit, nos hoc tanto incendio ciuitatis in istis locis esse. Dabimus sermonem, qui nesciunt nobis, quocumq; in loco simus, eundem cultum, eundem uictum esse. Quid refert? tamen in sermonem incidemus. Valde id credo laborandum est, ne, cum omnes in omni genere & scelerum & flagitiorum uoluentur, nostra nobiscum, aut inter nos cessatio uituperetur. Ego uero neglecta barbarorum inscitia, te persequar: quamuis enim hæc sint misera, quæ sunt miserissima, tamen artes nostræ nescio quo modo nunc uberiores fructus ferre uidentur, quàm olim ferebant: siue quia nulla nunc in re alia acquiescimus, siue quòd grauitas morbi facit, ut medicina egeamus, eaq; nunc appareat, cuius uim nò sentiebamus, cū ualebamus. Sed quid ego hæc ad te, cuius domi nascuntur? γλαῦκα ἐς Αθῶνας: nihil scilicet, nisi ut rescribens aliquid, me expectares, sic igitur facies.

Vale.

M. T. VARIONI

S. D. 4.

Περὶ δωμάτων με σέο κατὰ Διόδωρον κρινέτω.
 Quapropter si venturus es, scito necesse esse te ve-
 nire. Sin autem non, τῶν ἀδωμάτων ἐστὶν te venire. Nunc
 vide utra te κρισίς magis delectet, χροσισμεία νε, an
 hac, quam noster Diodorus non concoquebat. Sed de
 his etiam rebus ociosi cum erimus loquemur, hoc etiam est
 καὶ τοῦ χροσισμίου δωμάτων. De Costio mihi gratum
 est. Nam id etiam Attico mandaram. Tu si minus ad
 nos, nos accurremus ad te, si hortum in bibliotheca ha-
 bes, nihil deerit. Vale.

M. T. CIC. VARRONI

S. P. D. 5

Mihi vero ad Non. bene maturum videtur fore, ne-
 que solum propter Rempub sed etiam propter anni
 tempus. Quare diem istum probo: itaque eundem ipse se-
 quar. Consilij nostri, ne si eos quidem qui id sequuti non
 sunt, paeniteret, nobis paenitendum putarem. Sequuti
 enim sumus non spem, sed officium. Relinquimus autem
 non officium, sed desperationem. Itaque verecundiores
 fuimus, quam qui se domo non commoverunt: saniores,
 quam qui amissis apibus domum non reverterunt. Sed
 nihil minus fero, quam severitatem ociosorum: & quo-
 quo modo res habeant, magis illos vereor, qui in bello
 occiderunt, quam hos curo, quibus non satisfaciamus,
 quia vivimus. Mihi si spacium fuerit in Tusculanum
 ante Nonas veniendi, isthic te videbo: sin minus, perse-
 quar in Cumana: & ante te certiore faciam, ut laua-
 tio parata sit.

C I.

EPIST. FAM.
CICERO VARRONI

S. D. 6

CAninius noster me tuis verbis admonuit, ut scriberem ad te, si quid esset, quod putare te scire oportere, est igitur aduentus Caesaris in expectatione. neque te id ignoras. Sed tamen, cum ille scripsisset, ut opinor, se in Alsienſe uenturum: scripserunt ad eum sui, ne id faceret, multos ei molestos fore, ipsumq; multis. In Pontinum uideri commodius eum exire posse. Id ego non intelligebam, quid interesset. Sed tamen Hircius mihi dixit, & se ad eum, & Balbum & Oppiam scripsisse, ut ita faceret, homines, ut cognoni, amantes tui. Hac ego idcirco nosse te volui, ut scires, hospitium tibi ubi parares, vel potius ubi virg³: quid enim ille factururus sit, incertum est. & simul ostentaui, me istis esse familiarem, & consilijs eorum interesse. Quod ego cur nolim, nihil video. **NON ENIM** est idem ferre, si quid ferendum est: & probare, si quid probandum non est. & si quid non probem quidem, nescio, prater initia rerum. Nam haec in voluntate fuerunt. Vide enim (nam tu aberas) nostros amicos cupere bellum: hunc autem non tam cupere, quam non timere. Ergo haec consilia fuerunt, reliqua necessaria. Vincere autem aut hos, aut illos necesse est. Scio te semper mecum in lectu fuisse, cum videremus, quam istud ingens malum alterutrius exercitus ex decem interitu, tu vero exirent malorum omnium esse ciuilem belli victoriam: quam quidem ego etiam illorum timebam, ad quos veneramus. Crudeliter n. ociosis minabatur, eratq; ipsa et tua iniuria voluntas et mea oratio. Nunc vero si esset nostri potiti, valde in te perantes fuisset. Erant n. nobis perirari, quasi quicquam de nostra salute decreuissemus, quod non idem illis censuissemus: aut quasi utilius reip. fuerit, eos etiam ad bestiarum auxilium confugere,

fugere, quàm vel mori vel cum spe, si non optima, at ali-
qua tamen vivere. At in perturbata Repub. vivimus:
quis negat? Sed hæc viderint ij, qui nulla sibi subsidia
ad omnes vite statum paraverunt, hæc enim ut venirent
superior longius, quàm volui fluxit oratio. Cū enim te
semper magnum hominem duxi: tum, quod his tempe-
statibus es propè solus in portu, fructusq; doctrinae perci-
pis eos qui maximi sunt, ut ea consideres, eaquæ tractes,
quorum & usus & delectatio est omnibus istorum & a-
ctis & voluptatibus anteponenda. Equidem hos tuos
Tusculanenses dies in stare vite puto, libenterq; omni-
bus omnem opes concesserim, ut mihi liceat ut nulla in-
terpellante, isto modo vivere. Quod nos quoque imita-
mur, ut possamus, & in nostris studiis libentissimè con-
quiescimus. QVIS ENIM hoc non dederit nobis, ut
cum opera nostra patria siue non possit uti, siue nolit,
ad eam vitari neceremur, quam multi docti homines
fortasse non rectè, sed tamen multi etiam Reipubl. præ-
ponendam putaverunt? Quæ igitur studia magnorum
hominum sententia vacationem habent, etiam publici
muneris, is, concedente Repub. cur non abutamur?
Sed plus facio, quàm Caninius mandavit: is enim si
quid ego scirem, rogarat, quod tu nescires. Ego tibi ea
narro, quæ tu melius scis, quàm ipse qui narro. Faciam
ergo illud, quod rogatus sum, ut eorum quæ tempo-
ris huius sint, quæ tua interesse audiero, ne quid igno-
res. Vale.

CICERO VARRONI

S. P. D. 7.

Coenabam apud Seium, cū utriq; nostrum red-
dissent à te litteræ. Mihi verò iam maturū videtur.
Nunc

EPIST. FAM.

Nam quod antea te calumniatus sum, indicabo malicia
am meā. Volebam propè alicubi esse, si quid bonæ salutis
forte, ὅν ἐρχομένω. nunc, quando confecta sunt omni-
a, dubitandum nō est, quin a quis viris. Nam ut audi-
de Lucio Cæsare filio, mecum ipse: Quid hic mihi faciat
patru? Itaq, non desino apud istos, qui nunc domini-
tur cœnare. Quid faciam? Tempori inserviendum est.
Sed ridicula missa faciamus, præsertim cum sit nihil,
quod rideamus. Africa terribili tremit horrida ter-
tumultu. Itaq, nulla est ἀποπνεύμενον, quod non
verear. Sed quod queris, quando, quā, quò, nihil adhuc
scimus. Istuc ipsum de Baijs, nonnulli dubitant, an per
Sardiniam veniat. Illud enim adhuc prædium suum
non inspexit: nec ullum habet deterius, sed tamen non
contemnit. Ego omnino magis arbitror per Siciliam,
vel iam sciens adveniat enim Dolabella, eum puto ma-
gistrū fore. ὅν τοι μὲν ἵσαι κρείττους δὲ δόξα σκάνων.
Sed tamen si sciam, quid tu constitueris, meū consiliū
accommodabo potissimum ad tuum: quare expecto tuas
litteras. Vale.

M. CIC. VARRONI

S. P. D. 8.

ET si minus flagitare; quamvis quis ostenderit ne
populus quidem solet nisi concitatus: tamen ego ex-
pectatione promissitui moneor, ut admoneam te, non ut
flagitem. Misi autem ad te quatuor admonitores nō ni-
mis verecundos. Nosti enim profecto os eius adolescentulo-
ris Academiae. Ex ea igitur media excitatos misi, qui
metuo, ne te forte flagitent: ego autem mandavi, ut ro-
garent. Expectabam omnino iamdiu, meq, sustinebam.

si rogarent. Expectabam omnino iam diu, meq³ sustinebam, ne ad te prius ipse quid scriberem, quam aliquid accepissem, et possem teremuerare quam simillimo munere. Sed cum tu tardius faceres, id est, ut ego interpretor, diligentius: teneri non potui, quin coniunctionem studiorum, amorisq³ nostri, quo possem literarum genere, declararem. Fecigitur sermonem inter nos habitum in Cum ino, cum esset una Pomponius: tibi dedi parteis Antiochianas, quas à te probari intellexisse mihi videbatur. mihi sumpsi Philonis Puto fore, ut cum legeris, mirere id nos locutos esse inter nos, quod nunquam locuti sumus: sed nosti morem dialogorum. Posthac autem mi Varro quam plurima, si videbitur, & de nobis & inter nos sero fortasse: sed superiorum temporum fortuna Reipub. causam sustineat. Hec ipsi prestare debemus, atq³ utinam quies temporibus, atq³ aliquo si non bono, at saltem certo statu civitatis, hac inter nos studia exercere possimus. Quanquam tam quidem vel alia quæpiam rationes, honestas nobis & curas & actiones darent: nunc autem quid est, sine his cur vivere velimus? Mihi verò cum his ipsis vix: his autem detractis, ne vix quidem. Sed hac coram, & sepius. Migrationem & emptiorem feliciter evenire volo, tuumq³ in ea re consilium probabo. Cura ut valeas

DOLABELLA CICE-

RONI S. D. 9.

Si vales, gaudeo: & ipse valeo, & Tullia nostra rectè
 & vales. Terentia minus bellè habuit: sed certum scio
 iam convalescere. Præterea rectissime sunt apud te o-
 mnia. Esi nullo tempore tu suspicionem tibi debeo veni-
 re

EPIST. FAM.

re, partium causa potius, quàm tua tibi suadere, ut te aut cum Cesare, nobiscumq; coniungeres, aut certè in oculum referres: præcipue nunc ià inclinata victoria, ne possũ quidem in aliam incidere opinionem, nisi in eam, in qua scilicet tua de re tibi suadere videar, quod pie tacere non possum. Tu autem mi Cicero, sic hæc accipies, ut siue probabuntur tibi, siue non probabuntur, ab optimo certe animo, ac deditissimo tibi, & cogitata, & scripta esse indices. Animadvertis Cneum Pompeium, nec nominis sui, nec rerum gestarum gloria, nec etiam regum, aut nationum clientelas, quæ ostentare crebro solebat, esse tutum: & hoc etiam, quod infimo cuiq; contingit, ille non posse contingere, ut honestè effugere possit pulso Italia, amissis Hispaniis, capto exercitu veterano, circumvallato nunc denique: quod nescio, an vlllo vnquam nostro acciderit Imperatori. Quamobrem, quod aut ille sperare possit, aut tu, animum aduerte, pro tua prudentia. Sic enim facillimè, quod tibi vtilissimum erit, consilij capies. Illud autem à te peto, ut si iam ille evitaverit hoc periculum, & se abdiderit in classem, tuis rebus consulas: & aliquando tibi potius, quàm cuius, sis amicus: Satisfactum est iam à te vel officio vel familiaritati. Satisfactum etiam partibus, & Reipublicæ, quàm tu probabas: reliquum est, vbi nunc est Respub. ibi simus potius, quàm, dum illam veterem sequimur, simus in nulla. Quare velim mi incundissime Cicero, si fortè Pompeius pulsus his quoque locis, rursus alias petere regiones cogatur, ut tu te vel Athenas, vel in quavis quietam recipias civitatem. Quod si eris facturum, velim mihi scribas ut ego, si vlllo modo potero, ad te adnolem. Quæcunque de tua dignitate ab Imperatore erunt impetranda, quæ est humanitate Cesar, facillimum erit ab eo tibi ipsi impetari.

impetrare: & meas tamen preces apud eum non minimum auctoritatis habituras puto. Erit tue quoque fidei & humanitatis, curare, ut is tabellarius, quem ad te misi, & reuerti possit ad me, & à te mihi literas referat. Vale.

CIC. DOLABELLAE

S. D. IO.

Non sum ausus Saluio nostro nihil ad te literarum dare, nec mehercule habebam quid scriberem, nisi te à me mirabiliter amari: de quo etiam nihil scribente me, te non dubitare, certo scio. Omnino mihi magis litera sunt expectanda à te, quam à me tibi. Nihil n. Roma geritur, quod te putè scire curare: nisi forte scire vis, me inter Niciam nostrum & Viduum indicem esse. Profert alter (ut opinor) duobus uersiculis expensum Niciæ: alter Aristarchus hos ὁ Σελίζει. Ego tanquam criticus antiquus iudicaturus sum, verum sint & ὁ εἰς, an ὁ ἀπερὶ Σελίζειν. Puto te nunc dicere: oblitus ne es igitur fungorum illorum, quos apud Niciam? & ingentium culinarum cum Sophia Septimie? Quid ergo? adeone tu mihi excussam seueritatem veterem putas, ut ne in foro quidem reliquiae pristinae frontis appareant? Sed tamen suauissimum συμβόλιον nostrum praestabo integellam: nec committam, ut si ego cum condemnaro, tu restituas, ne habeat Plancus Bursa, apud quem literas discat. Sed quid ago? cum mihi sit incertum, tranquillone sis animo, an, ut in bello, in aliqua maiusculæ cura, negotiorum versere labor longius. Cum igitur mihi erit exploratum te libenter esse risurum, scribā ad te pluribus. Te tamē hoc scire volo, vehemēter populum sollicitū fuisse de P. Syllæ morte antè quam certum scierit. Nunc

EPIST. FAM.

querere desierunt, quomodo perierit: satis putant se
scire, quod sciunt. Ego, cetera quia animo equo fero, vi-
num vereor, ne hasta Caesaris refrixerit. Vale.

CICERO DOLABELLAE

S. D. 6.

VEl meo ipsius interitu mallem literas meas deside-
rares, quam eo casu, quo sum grauissime afflictus:
quem ferrem certe moderatius, si te haberem. Nam &
oratio tua prudens, & amor erga me singularis, multum
lenaret. Sed quoniam breui tempore, ut opinio nostra
est, te sum visurus, ita me affectum offendes, ut multum
à te possim inuari: non quo ita sim fractus, ut aut homi-
nem me esse oblitus sim, aut fortuna succumbendum pu-
tem: sed tamen hilaritas illa nostra, & suauitas, quae te
præter ceteros delectabat, erepta mihi omnino est. Fir-
mitatem tamen, & constantiam, si modò fuit aliquan-
do in nobis, eandem cognosces, quam reliquisti. Quod
scribis, praelia te mea causa sustinere, non tam id labo-
ro, ut si qui mihi obtrecent, à te refutentur: quam in-
telligo cupio, quod certe intelligitur, me à te amari,
quod ut facias, te etiam atque etiam rogo. Ignoscas quæ
breuitati mearum literarum: nam & celeriter vna fu-
turos nos arbitror, & nondum satis confirmatus sum
ad scribendum. Vale.

CICERO DOLABELLAE

S. D. 7.

GRatulor Baijs nostris: si quidem, ut scribis, salu-
bres repente factæ sunt: nisi fortè te amant, & tibi
assentantur. & tam diu, dum tu ades, sunt oblita sui. Quod
quidem si ita est, minimè miror, cælum etiam & terras
vino

vim suam si tibi ita conueniat, dimittere. Oratiunculā pro Deiotaro, quam requirebas, habebā mecum, quod non putaram. Itaque eam tibi misi: quam velim si legas, ut causam tenuem & inopem, nec scriptione magnopere dignam. Sed ego hospiti veteri, & amico munusculum mittere valui lenidense crasso filo, cuiusmodi ipsius solent esse munera. Tu velim animo sapienti fortigis, ut tua moderatio & grauitas, aliorum infame iuriam, Vale.

CICERO DOLABELLAE

S. P. D. 9.

CAius Suberrius Calens, & meus est familiaris, et Lepta nostri familiarissimi pernecessarius. Is cum vitandi belli causa profectus esset in Hispaniam cum M. Varrone ante bellum, ut in ea prouincia esset, in qua nemo nostrum post Afranium superatum, bellum ullum fore putarat, incidit in ea ipsa mala, quae summo studio vitauerat. Oppressus est enim bello repentino: quod bellum commotum a Scapula, ita postea confirmatum est à Pompeio, ut nulla ratione se ab illa miseria eripere possit. Eadem causa ferè est M. Planij heredis, qui est item Calenus, Lepta nostri familiarissimus. Hosce igitur ambos sic tibi commendo, ut maiore cura, studio sollicitudine animi commendare non possim. Volo ipsorum causa: meq; in eo vehementer & amicitia mouet, & humanitas. Lepta vero cum ita laboret, ut eius fortunae videantur in discrimen venire, non possum ego non aut proxime, atq; ille, aut etiam aequè laborare. Quapropter etsi sepe expertus sum, quantum me amares: tamen sic velim tibi persuadeas, id me in hac re maximè iudicaturum. Peto igitur à te, vel si pateris, oro, ut homines mi-

EPIST. FAM.

feros, & fortuna, quam vitare nemo potest, magis, quam culpa calamitosos, conserues incolumeis: velisq; per te, me hoc muneris cum ipsis amicis hominibus, tum municipio Caleno, qui cum mihi magna necessitudo est, tum Lepta, quem omnibus antepono, dare. Quod dicturus sum, puto equidem non valde ad rem pertinere, sed tamen nihil obest dicere: res familiaris alteri eorum valde exigua est, alteri vix equestris. Quapropter, quando his Caesar vitam sua liberalitate concessit, nec est quod iis præterea magnopere possit adimi: reditum, si me tantum amas, quantum cerce amas, hominibus confice. In quo nihil est, præter viam longam: quam idcirco non fugiunt, ut & viuant cum suis, et moriantur domi. Quod ut enitare contendasq; vel potius ut perficias (posse enim te, mihi persuasi) vehementer te etiam atque etiam rogo. Vale.

CICERO DOLABELLAE

S. P. D. 13.

ET si contentus eram, mi Dolabella, tua gloria, satisque ex ea magnam letitiam voluptatemq; capiebam: tamen non possum non confiteri, cumulari me maximo gaudio, quod vulgo hominum opinio socium me adscribat tuis laudibus. Neminem conueni (conuenio autem quotidie plurimos: sunt enim permulti optimi viri, qui valetudinis causa in hac loca conueniant: præterea ex municipiis frequentes necessarij mei) quin omnes, cum te summis laudibus ad coelum extulerint, mihi continuo maximas gratias agant. Negant enim se dubitare, quin tu meis præceptis & consilijs obtemperans, præstantissimum te ciuem, & singularem Consulem præbeas. Quibus ego quanquam verissime possum respondere, te, quae facias, tuo

tuo iudicio & tua sponte facere, nec cuiusquam egere consilio: tamen neque planè assentior, ne imminuam laudem tuam, si omnis à meis consilijs profecta videatur: neque valde nego. Sum enim avidior etiam, quàm satis est, gloriæ. Est tamen non alienum à dignitate tua, quod ipsi Agamem noni regum regi fuit honestum, habere aliquem in consilijs capiundis Nestorem: mihi verò gloriosum, te iuuenem Consulem florere laudibus, quasi alumnum discipline meæ. L. quidem Cæsar, cùm ad eum agrotum Neapolim venissem, quanquam erat oppressus totius corporis doloribus: tamen ante, quàm me planè salutavit, O mi Cicero, inquit, gratulor tibi, cùm tantum vales apud Dolabellam, quantum, si ego apud sororis filium valere, iam salvi esse possemus. Dolabellæ verò tuo & gratulor, & gratias ago: quem quidem potest te consulem, solum possumus verè consulem dicere. Deinde multa de facto, ac de re gesta: tum nihil magnificèrius, nihil præclariùs actum unquam, nihil Reipub. salutarius. Atq; hæc vna vox omnium est. Atte autem peto, ut me hanc quasi falsam hereditatem alienæ gloriæ sinas cernere: neq; aliqua ex parte, in societatem tuarum laudum venire patiare, quanquam, mi Dolabella (hæc enim iocatus sum) libentius omneis meas, si modò sunt, aliquæ meæ laudes, ad te transfuderim, quàm aliquam partem exhauserim ex tuis. Nam cum te semper tantum dilexerim, quantum intelligere potuisti cum his tuis factis sic incensus sum, ut nihil unquam in amore mihi fuerit ardentius. NIHIL est enim (mihi crede) virtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius. Semper amavi (ut scis) M. Brutum, propter eius summum ingenium, suavissimos mores, singularem probitatem atq; constantiam: tamen Idibus Martijs tantum

EPIST. FAM.

accessit ad amorem, ut mirarer locum fuisse augendi in eo, quod mihi iam pridem cumulatam etiam videbatur. Quis erat, qui putaret ad eum amorem, quem erga te habebam, posse aliquid accedere: Tantum accessit, ut mihi nunc denique amare videar, antea dilexisse. Quare quid est, quod ego te hortor, ut dignitati & gloria servias? Proponam tibi claros viros, quod facere solent, qui hortantur? Neminem habeo clariorem, quam te ipsum, te imitere oportet: tecum ipse certes: nec licet quidem tibi iam tantis rebus gestis non tui similem esse. Quod cum ita sit, hortatio non est necessaria, gratulatione magis utendum est. Contigit enim tibi, quod scio an nemini, ut summa severitas animadversionis non modo non invidiosa, sed etiam popularis esset, & cum bonis omnibus, tum infimo cuique gratissima. Hoc si tibi fortuna quadam contigisset, gratularer felicitati tue, sed contigit cum magnitudine animi, tum etiam ingenii atque consilii. Legi enim concionem tuam: nihil illa sapientius: ita pedetentim & gradatim eum accessus a te ad causam facti, tum recessus, ut res ipsa maturitatem tibi animadvertendi omnium concessu daret. Liberasti igitur & urbem periculo, & civitatem metu: neque solum ad tempus maximam utilitatem attulisti, sed etiam ad exemplum facti. Intelligere debes in te repositam esse Rempublicam, tibi quoque non modo tuendos, sed etiam ornandos esse illos viros, a quibus initium libertatis profectum est. Sed his de rebus coram pluram propediem, ut spero. Tu quando Rempublicam nostram conservas, fac ut diligentissime eipsum mi Dolabella custodias, Vale.

M. T. C. PAPIRIO PAETO

S. P. D. 14.

Dua-

DVabustis epistolis respondebo: vni, quam tridi-
 ante acceperam à Zetho: alteri, quam Phileros tri-
 bellarius. Ex prioribus tuis literis intellexi, pergrati
 tibi esse sententiam meam, & animum meum circa tu-
 ram valetudinis tue, quem tibi perspectum esse gaudeo.
 Sed, mihi crede, non perinde, ut est re ipsa, absens ex li-
 teris perspicere potuisti. Nam cum à satis multis (non e-
 nim possum aliter dicere) & col me videam, & diligere
 me est illorum omnium mihi te iucundior. Nam quod
 me amas: quod id & iampridem & constanter facis: est
 id quidem magnum atq; haud scio an maximum, sed ti-
 bi commune cum multis. Quod tu ipse tam amandus es,
 tamq; dulcis, tamq; in omni genere iucundus, id est pro-
 prie tuum. Accedunt non Attici, sed saliores quam
 illi Atticorum, Romani veteres atq; urbani sule. Ego
 autem (existimes licet, quod lubet) mirifice capior sa-
 cety, maxime nostratibus, praesertim cum eas videam
 primum oblitus Latio tum, cum in urbem nostram est
 infusa peregrinitas, nunc vero etiā Brachatis, & Trans-
 alpinis nationibus, ut nullum veteris lepōris vestigium
 appareat. Itaq; te cum video, omneis mihi Grachos,
 omneis Lucilios, & (ut verè dicam) Crassos quoque &
 Lelios videre videor. Moriar, si praeter te quencum
 reliquum habeo, in quo possem imaginem antiquae &
 vernaculae festiuitatis agnoscere. Ad hos lepōres: in
 amor erga me tantus accedat, miraris, me tanta per-
 turbatione valetudinis tue, tam graviter exanimatum
 fuisse? Quod autem altera epistola purgas te non dissua-
 sorem mihi emptionis Neapolitanae fuisse, sed authorem
 commemorationis urbanae: neque ego aliter accepti intel-
 lexi tamen idem, quod his intelligo literis non existimasse
 te mihi licere, id quod ego arbitrabar, rei hac non omni-

EPIST. FAM.

no quidem, sed magnam partem relinquere. Catulum mihi narras, & illa tempora: quid simile? ne mihi quidem ipsi tunc placebat diutius abesse ab Reipub custodia: sed debamus enim in puppi, clauumq; tenebamus: nunc autem vix est in sentina locus. An minus multa senatuscōsulta futura putas, si ego sim Neapoli? Romæ cū sum, & vrgeo forum, senatusconsulta scribuntur apud amatorem tuum, familiarem meum. Et quidem cū inuentem venit, ponor ad scribendum: & antè audio senatusconsultum in Armeniam & Syriam esse perlatum, quod in meam sententiam factum esse dicatur, quam omnino mentionem vllam de ea re esse factam. Atq; hoc nolim me iocari putes. Nam mihi scito iam à regibus vltimis allatas esse literas, quibus mihi gratias agant, quod se mea sententia reges appellauerim: quos ego non modò reges appellatos, sed omnino natos nesciebam. Quid ergo est: tamen quandiu hic erit noster hic prefectus moribus, parebo auctoritati tuæ: cū verò aberit, ad fungos me tuos conferam. Domum si habebo, in denos dies, singulos sumptuariæ legis dies conferam. Sin minus inuenero, quod placeat, decreui habitare apud te. Scio enim me nihil gratius tibi facere posse. Domum Sillanā desperabam iam, ut tibi proximè scripsi: sed tamen non abieci. Tu velim, ut fabris eam perspicias. Si enim nihil est in parietibus aut in tecto vitij, cetera mihi probantur. Vale.

M. C. PAPIRIO PAETO

S. D. 15.

DElectauerūt me literæ tuæ: in quibus primū amari amorem tuum, qui te ad scribendū incitauit, verentē, ne Silius suo nuncio aliquid mihi sollicitudinis attu-

attulisset, de quo etiam tu mihi antea scripseras, his qui-
 de eodem exemplo, facile ut intelligerem te esse comotum:
 & ego tibi accurate rescripseram, ut quoquo modo in-
 tali re atq; tempore aut liberare te ista cura, aut certe le-
 uarem. Sed quando proximis quoq; literis ostendis, quare
 cure tibi sit ea res: sic mihi Patē habeto, quicquid arte
 fieri potuerit (non n. iam satis est consilio pugnare, arti-
 ficium quoddam excogitandū est) sed tamē quicquid ela-
 borari aut effici potuerit, ad istorum beneuolentiā con-
 ciliandam & colligendam, summo studio me consecutiū
 esse: nec frustra, ut arbitror: sic enim color, sic obseruor
 ab omnibus his qui a Cesare diliguntur, ut ab eis me a-
 amari putem. **NAM ETSI** non facile dijudicatur
 amor verus & fictus, nisi aliquod incidat eiusmodi tem-
 pus, ut quasi aurum igne, sic beneuolentia fidelis pericu-
 lo aliquo perspicui possit: cetera sunt signa communia: sed
 ego vno vtor argumento, quāobrem me ex animo ve-
 req; arbitror diligi, quod & nostra fortuna ea est, & illo-
 rum, ut simulandi causa non sit. De illo autem, quem
 penes est omnis potestas, nihil video, quod timeam: nisi
 quod omnia sunt incerta, cum a iure discessum est: nec
 prestari quicquam potest, quāle futurum sit, quod posi-
 tum est in alterius voluntate, ne dicam libidine. Sed ta-
 mē eius ipsius nullare a me offensus est animus. Est enim
 adhibita in ea re ipsa summa a nobis moderatio, ut enim
 olim arbitrabar esse meum, liberē loqui, cuius opera
 esset in ciuitate libertas: sic ea nunc amissa, nihil loqui,
 quod offendant, aut illius, aut eorum qui ab illo dili-
 guntur, voluntatem. Effugere autem si velim nonnullorū
 acutē aut facetō dictorum offensionem, fama inge-
 niū mihi est obijcienda: quod si possem, non recusarem.
 Sed tamen ipse Caesar habet peracre iudiciū: & ut

EPIST. FAM.

Servius frater tuus, quem literalissimum fuisse indicā,
facile diceret, hic versus Planti non est, hic est, quod tri-
tas haberet aureis notandis gener. bus poetarum, & cō-
suetudine legendi: sic audio Casarem, cum volumina iā
confecerit ἀποθεύματα, vel per se, si quid afferatur
ad eum pro meo, quod meum nō sit, recitare solere: quod
cō nunc magis facit, quia vivunt mecum fere quotidie il-
lius familiares. Incidunt autem in sermone vario mul-
ta, quæ foriāse illis cū dixi, nec illiterata nec insulsa esse
videantur. Hæc ad illum cum reliquis actis perferun-
tur: ita enim ipse mandavit. Sic sit, ut si quid præte-
rea de me audiat, non audiendum putet. Quamobrem
Oenomaο tuo nihil utor: etsi posuisti ioco versus Ac-
cianos. Sed quæ est invidia? aut quid nunc mihi inui-
deri potest? Verum fac esse omnia. Sic video philosophis
placuisse ijs, qui mihi soli videntur vim virutis tenere:
NIHIL esse sapientis præstare, nisi culpam: quæ videor
mihi dupliciter carere: & quod ea senserim, quæ rectis-
sima fuerunt: & quod cū viderem præsidij non satis es-
se ad ea obtinenda, viribus certandum cum valentiori-
bus non putarim. Ergo in officio boni civis certè non sum
reprehendendus. Reliquum est, ne quid stultè, ne quid
temere dicam: faciamus contra potentis. Id quoque pu-
to esse sapientis: cætera verò, quid quisque me dixisse di-
cat, aut quæ modo ille accipiat, aut quæ fide mecum vi-
vant ijs, qui me assidue colunt & observant, præstare nō
possum. Ita sit, ut & superiorum consiliorum conscien-
tia, & præsentis temporis moderatione me consoler, & il-
lam Accydi similitudinem non modò iam ad invidiam,
sed ad fortunam transferam: QUAM existimo leuem
& imbecilem, ab animo firmo & gravi, tanquam flu-
etum à saxo frangi oportere. Etenim cum plena sint mo-
nimenta,

nimenta Gracorum, quemadmodum sapientissimi viri
 regna tulerint vel Athenis, vel Syracusis: cum seruieni-
 bus suis ciuitatibus, fuerint ipsi quodāmodo liberi: ego
 me non putem tueri meum statum sic posse, ut neque of-
 fendam animum cuiusquam, nec frangam dignitatem
 meam? Nunc venio ad iocationes tuas, quādo tu secun-
 dum Oenomaum Accij, non ut olim solebat, Atellanū:
 sed ut nūc sit, Mimū introduxisti. Quem tu mihi Po-
 pilium, quem Denarium narras? quam Tyrotarichi pa-
 tinam? facilitate mea ista ferebantur antea: nunc muta-
 tā res est. Hircium ego & Dolabellam dicendi discipu-
 los habeo, cœnandi magistros. Puto enim te audisse (si
 forē ad vos omnia perferuntur) illos apud me declami-
 tare, me apud eos cœnare. Tu autem, quō mihi bonam
 copiam eiures, nihil est: tum enim cū rem habebas,
 quæstiunculis te faciebam attentiores: nunc cū tam
 equo animo bona perdas, non eo sis consilio, ut cū me
 hospitio recipias, estimationem te aliquā putes acci-
 pere: & iam hac lenior est plaga ab amico, quā a de-
 bitore. Nec tamen eas cœnas quæro, ut magnæ reliquæ
 fiant: quod erit, magnificum sit, & lautum. Memini te
 mihi Phamce cœnam narrare: temperius fiat: cætera
 eodem modo. Quod si perseveras me ad matris tuæ cœ-
 nam vocare, seram id quoq;. Volo enim videre animū,
 qui mihi audeat ista, quæ scribis, apponere, aut etiam po-
 typum Miniani Iouis similem. Crede mihi, non audebis.
 Ante meum aduentum fama ad te de mea noua lautitia
 veniet: eam extimesces. Neque est, quod in promulso
 spei ponas aliquid: quā totam sustuli. Solebam enim an-
 tea delectari oleis & lucanicis tuis. Sed quid hæc loqui-
 mur? liceat modo isto venire. Tu vero (volo enim ab-
 stergere animi tui metum) ad Tyrotarichum antiquum
 redi.

EPIST. FAM.

Vedi. Ego tibi vnum sumptum asseram, quod balneum calfacias oportebit: cetera more nostro, superiora illis iussumus. De nulla Cecilianâ & curasti diligenter, & scripsisti facetissime. Itaque puto me prætermisurum: satis enim satis est, sannionum parum. Vale.

M. C. I. C. P. A. P. I. R. I. O

S. P. D. 16

Num tu homo ridiculus es? qui, cum Balbus noster apud te fuerit, ex me queras, quid de istis municipiis & agris futurum putem? quasi ego quicquâ sciam, quod iste nesciat: aut si quid aliquando scio, non ex isto soleam scire. Imò verò si me amas, tu fac, ut sciam, quid de nobis futurum sit. Habuisti enim in tua potestate, ex quo vel ex sobrio, vel certè ex ebrio scire posses. Sed ego ista, mi Pate, non quero: primum quia de lucro propè iam quadriennium vivimus: si aut hoc lucrum est, ut hæc vita, superstitute Rep. vivere, deinde quod scire quoque mihi videor, quid futuram sit, fiet enim quodcumque nolet, qui valebunt: valebunt autè semper arma. Nobis igitur satis esse debet, quicquid conceditur, hoc si quis pati non potuit, mori debuit. Veientem quidem agrum & Capenatè metuntur: hic non longè abest à Tusculano. Nihil tamen timeo: fruor, dum licet: opto, ut semper liceat, si id minus contigerit, tamen, quando ego vir fortis, idemq. philosophus vivere pulcherrimum duxi, non possum cum nō diligere, cuius beneficio id cōsequutus sum: qui si cupiat esse Remp. quale fortasse & ille vult, & omnes optare debemus, quid faciat tamen, non habet: ita secum multis colligavit. Sed longius progredior: scribo enim ad te. Hoc tamen scito, non modo non me, qui consiliis non intersum, sed ne ipsum quidem principem scire quid futuri

futurum sit. Nos enim illi seruimus: ipse temporibus, ita nec ille, quid tempora postulatūra sint: nec nos, quid illē cogitet, scire possumus. Hęc tibi antea non rescripsi, non quo cessator esse solem, presertim in literis: sed cū explorati nihil haberem, nec tibi solitudinem ex dubitatione mea, nec spem ex affirmatione afferre nolui. Illud tamen adscribam, quod est verissimum, me his temporibus adhuc de periculo nihil audisse. Tu tamen pro tua sapientia debebis optare optima, cogitare difficilima, ferre quęcumq; erunt. Vale.

CIC. PAPIRIO PAETO

S. D. 17.

Cū essem ociosus in Tusculano, præterea quod discipulos obuiam Cæsari miseram, ut idem me quam maxime conciliaret familiari suo, accepi tuas literas plenissimas suauitatis: ex quibus intellexi probari tibi meū consiliū, quod ut Dionysius, tyrannus, cū Syracusis expulsus esset, Corinthi dicitur ludū appernisse: sic ego sublatis iudicijs, amisso regno forensi, ludum quasi habere cœperim. Quid quæris: me quoq; delectat consiliū: multa enim consequor, primum id, quod maxime nunc opus est, munio me ad hæc tempora. Id cuiusmodi sit, nescio: tantum video, nullius adhuc consilia me huic antepone: nisi forte mori melius fuit in lectulo. fateor, sed non accidit, in acie non fuis. Ceteri quidem Pompeius, Lentulus tuus, Scipio, Afranius fœdè perierunt, at Cato præclare, iam istuc quidem cū volumus, licebit: demus modo operam, ne tam necesse nobis sit, quam illi fuit, id quod agimus. Ergo hoc primum. Sequitur illud: Ipse melior fio: primum valetudine, quam in-

EPIST. FAM.

terminissis exercitationibus amiseram : deinde ipsa illa si
qua fuit in me facultas orationis, nisi me ad has exercita-
tiones retulissem, exarnisset. Extremū illud est, quod tu
nescio an primum putes : plureis iam panones confeci,
quam tu pullos columbinos. Tu istuc te Ateriano iure
delectato, ego me hic Hirciano. Veni igitur, si vires, &
disce iam $\pi\rho\lambda\epsilon\gamma\omicron\mu\epsilon\nu\alpha\varsigma$ quas quæris: etsi sis. Miner-
nam. Sed quando, ut video, estimationes tuas vendere
non potes, neque ullam denariorum implere, Romam
tibi remigrandum est. Satius est hic crudi atē, quam
istic fame. Video te bona perdidisse: spero idem istuc fa-
miliareis tuos. Adhuc igitur de te est, nisi prouides,
potes nullo isto, quem tibi reliquum dicis esse, quando
cantherium comedisti, Romam peruehi. Sella tibi erit
in ludō, tanquam hypodidasculo, proxima: eam pul-
nus sequetur. Vale.

M. CIC. PAPIRIO PAETO

S. P. D. 18.

TAmen à malitia non discedis: tenuiculo apparatu
significas Balbum fuisse contentum: hoc videris di-
cere, cum reges tam sint continentes, multo magis consu-
laris esse oportere, nescis me ab illo omnia expiscatum?
recta enim à porta domum meam venisse: neque hoc ad-
miror, quod non ad tuam potius: sed illud, quod nec ad
suam, ego antē tribus primis verbis, Quid noster Patus?
at ille anitrans, nusquam se vnquam libetius. Hoc si ver-
bis assecutus es, aureis ad te afferam non minus elegan-
teis: sin autem obsonio, peto à te, ne pluris esse Ball os,
quam desertos putes. Me quotidie aliud ex alio impedit.
Sed si me expediero, ut in ista loca venire possim, non

committam, ut te serò à me certio rem factum pueres.
Vale.

M. C. PAPIRIO PAETO

S. D. 19.

Dupliciter delectatus sum tuis literis, & quòd ipse
risi, & quòd te intellexi iam posse ridere. Me autē
à te, ut scurram velitem, malis oneratum esse, non mole-
stè tuli. Illud doleo, in ista loca venire me, ut constitue-
ram, non potuisse: habuisses enim non hospitem, sed con-
tubernalē. At quem virum? non eum, quem tu es so-
litus promulsi de cōficere. Integrā famē ad ouīa afferō: i-
taque ad assū vitulinū opera perducitur illa mea
quæ solebas antea laudare, ò hominem, facilem, ò
in hospitem non grauem, abierunt. Nam omnem
nostram de Republica curam, cogitationem de dicenda
senatu sententia, commendationem causarum, abieci-
mus. In Epicuri nos aduersarij nostri castra coniecimus:
nec tamen ad hanc insolentiam, sed ad illam tuam lau-
titiam, veterem dico: cū mecum sumptum habebas:
et si nunquam plurā pradia habuisti. Proinde te para-
tum homine edaci tibi res est, & qui iam aliquid intel-
ligat. ò quā dēis autem homines, scis quā insolē-
tes sint: dedi scenda tibi sunt sportelle, & artolagani tui.
Nos iam ex arcis tantum habemus, ut Verrium tu-
um, & Camillum, quā munditia homines, quā elegan-
tia? vocare sapius audeamus. Sed vide audaciam: etiā
Hircio cœnam dedi sine pauone: tamen in ea cœna cocuus
meus præter ius seruens nihil potuit imitari. Hæc igitur
est nunc vita nostra: manē salutamus domi & bonos vi-
ros multos, sed tristes, & hos letos victores: qui me qui-
dem per officiose & per amanter observant. Vbi saluatio
R deflu-

EPIST. FAM.

defluxit, literis me inuoluo, aut scribo, aut lego. Veniunt etiam qui me audiunt, quasi doctū hominem: quid paulo sum, quā ipsi, doctior. Inde corpori omne tempus datur. Patriam eluxi iam & grāius & diutius, quā vlla mater vnicum filium. Sed cura, si me amas, ut valeas: ne ego te iacente, bona tua comedam. Statim enim tibi ne agroto quidem parcere. Vale.

M. C. PAPIRIO PAETO

S. D. 21.

AIn tandem? insanire tibi videris, quod imitare verborum meorū, ut scribis, fulmina. Tum insanires, si consequi non posses. Cum verō etiam vincas, me prius irrideas, quā te oportet. Quare nihil tibi opus est illud à Trabea, sed potius *ἄνδρ' Ἰεγυα* meum. Veruntamen quid tibi ego videor in epistolis? nonnē plebeio sermone agere tecum? nec enim semper eodem modo. Quid enim simile habet epistola aut iudicio, aut concioni? quin ipsa iudicia non solemus omnia tractare vno modo. Priuatas causas, & eas tennēis, agimus subtilius: capitis, aut fama, scilicet ornatiū. Epistolas verō quotidianis verbis texere solemus. Sed tamen, mi Pate, quid tibi venit in mentem, negare Papirium quēquam vnquam nisi plebeium fuisse? fuerunt enim patricij minorum gentium, quorum princeps Lucius Papirius Mugillanus: qui consul cum Lucio Sempronio Attatino fuit: cū antea censor cum eodem fuisset, annis post Romā conditā trec. xij. Sed tum Papisy dicebamini. Post hunc xij. fuerunt, Sella curuli ante Lucium Crassum, qui primus Papisyus est vocari desitus. Is Dictator cum Lucio Papirio cursore magistro equitū factus est, annis post Romā conditā quadring. quind. & quadriennio post consul cū

C. Dis.

C. Drillio. Hunc secutus est Cursor, homo valde honoratus: deinde Lucius Masso ædilitius: inde multi Massones: quorum quidē tu omnium patriciorū imagines habebas volo. Deinde Carbones & Turdi insequuntur. Hi plebey fuerunt: quos contemnas, censeo. Nā prater hūc Cn. Carbonem, quem Damasippus occidit, cuius è Rep. Carbonū nemo fuit. Cognouimus Cn. Carbonem, & eius fratrem Scurram. Quid his improbius? De hoc amico meo Rubrie filio nihil dico. Tres fratres fuere, P. C. M. Carbones Publius, Flacco accusante, cōdemnatus est. Fregit Marcus ex Sicilia. Caius accusante Lucio Crasso, catharidas sumpsisse dicitur, is trib. pleb. seditiosus, & P. Africano vim attulisse existimatus est. Hoc verò, qui Libai à Pōpeio nostro interfectus est, improbius nemo, meo iudicio, fuit. Iā pater eius accusatus à M. Antonio, sutorio aīramēto absolutus putatur. Quare ad patricios cēseo reuertare: plebey quā fuerint importuni, vides. Vale.

M. C. PAPIRIO PAETO

S. D. 22.

AMo verecundiam, vel potius libertatem loquendi: atq; hoc Zenoni placuit, homini mehercule acuto: etsi Academia nostra cum eo magna rixa est: sed, ut dico, placet Storcis suo quamque rem nomine appellare. Sic enim differunt nihil esse obscenum, nihil turpe dictu. Nam si quod sit in obscenitate flagitium, id aut in re esse, aut in verbo, nihil est tertium. In re non est. Itaq; non modo in comœdijs res ipsa narratur, ut ille in Demurgo: modo (forte nosti canticum: meministi Roscium) ita me destituit nudum. Totus est sermo verbis tectus, re impudentior: sed etiam in tragœdijs quid est enim illud? *Quæ mulier una? quid inquam est vsur-*

R 2

pata

EPIST. FAM.

pata duplex cubile? Quid illud? Pherai hic cubile in-
 ire est ausus. Quid est? Virginem me quondam inui-
 tam per vim violat. Jupiter bone, violat? Atqui idem
 significat, sed alterum nemo tulisset. Vides igitur, cum
 eadem res sit, quia verba non sint, nihil videri turpe:
 ergo in re non est, multò minus in verbis. Si enim quod
 verbis significatur, id turpe non est: verbum quod signifi-
 cat, turpe esse non potest. Annum appellas alieno no-
 mine, cur non suo potius? Si turpe est, ne alieno quidem:
 si non est, suo potius. Caudam antiqui penem vocabant:
 ex quo est propter similitudinem peniculus: at hodie
 penis est in obscenis. At verò Piso ille frugi in Ana-
 libus suis queritur, adolescentes peni deditos esse. Quod
 tu in epistola appellas suo nomine, ille tectius penem: sed
 iam multis factum est tam obscenum, quàm id verbum
 quo tu vsus es. Quid quod vulgò dicitur, cum nos te
 volumus conuenire, num obscenum est? Memini in
 Senatu disertum Consularem ita loqui. Hanc culpam
 maiorem, an illam dicam? Potuit obscenius? Non, in-
 quis. Non enim ita sensit. Non ergo in verbo est: docui
 autem in re non esse: nusquam igitur. Liberis operam
 dare, quàm honestè dicitur: etiam patres rogant filios,
 eius operæ nomen non audent dicere. Socratem fidi-
 bus docuit nobilissimus fidicen: is Connus vocitatus est:
 nū id obscenū putas? Cum loquimur tibi nihil flagitij
 dicimus: at cum bini, obscenum est. Grecis quidem,
 inques: nihil est ergo in verbo, quando & ego Græcè
 scio: & tamen tibi dico bini, id quæ tu facis, quasi ego
 Græcè, non Latine dixerim. Ruta & menta, rectè vitru-
 que. Volo mentam, pusillam illam ita appellare, ut utrū-
 lam: non licet. Bella rectoriola dicis, dic ergo etiam pa-
 uimenta isto modo: non potes. Vides igitur nihil esse, nisi
 ineptiae

ineptas: turpitudinem nec in verbis esse, nec in re: itaque nusquam esse. Ergo in verbis honestus obscœna ponimus. Quid enim, num honestum verbum est diuisio? At inest obscœnum: cui respondet intercapedo: num hæc ergo obscœna sunt? Nos autem ridicule si dicimus, ille patrem strangulauit, honorem non præsumur: sin de Aurelia aliquid aut Lolia, honos præfandus est. Et quidem iam etiam non obscœna verba pro obscœnis sunt: batuit, inquit impudenter, depsit multo impudentius. Atqui neutrum est obscœnum. STULTORVM plena sunt omnia. Testes, verbum honestissimum in iudicio: alio loco non nimis: at honesti Celer Lanuuii: Cliternini non honesti. Quid ipsa res modo honesta, modo turpis: Suppellere flagitium est: iam erit nudus in balneo, non reprehendes. Habes scholam Stoicam, ὁ σοφὸς εὐ-δύσῃ μὲν ἔσθῃ, quàm multa ex vno verbo tuos. Te aduersus me omnia audere, gratum est. Ego seruo, & seruabo (sic enim assueui) Platonis verecundiam. Itaque tectis verbis ea ad te scripsi, quæ apertissimis agunt Stoici. Sed illi etiam crepitus aiunt aquæ liberos, ac ructus esse oportere. Honor est igitur. Calend. Martijs. Tu me diliges, & valebus.

M. T. C. PAPIRIO PAETO

S. D. 22,

HEri veni in Cumanum: cras ad te fortasse. Sed cum certum sciam, faciam te paulo ante certior. Et si Marcus Caparius cum mihi in sylua Gallinaria obuiâ venisset, quæsissem quid ageres dixit te in lecto esse, quod ex pedibus laborares: tuli scilicet molestè, ut debuissid tamē constitui ad te venire, ut & viderem te, & viscerem

EPIST. FAM.

rem, & cenarem etiam. Non enim arbitror cocum etiam te arthriticū habere. Expecta igitur hospitem cum minime edacemstum inimicum cœnis sumptuosus. Vale.

M. CIC. PAPIRIO PÆTO

S. P. D. 24.

Resum istum amicum tuum, de quo iterū iam ad me scribis, adiunxerem, quantū possem, etiam si ab eo laesus essem, cum te tantopere viderem eius causa laborare. Cum verò & ex tuis literis, & illius ad me missis intelligam, & indicem, magnæ curæ ei salutem meam fuisse: non possum ei non amicus esse, neq. solum tua commendatione, quæ apud me, ut debet, valet plurimum, sed etiā voluntate, ac iudicio meo. Volo enim te scire, mi Pate, initium mihi suspicionis, & cautionis, et diligentie fuisse literas tuas: quibus literis congruentes fuerunt aliæ postea multorum. Nam & Aquini, & Frabaterie consilia sunt inita de me: quæ te video inaudisse: & quasi diuinarent, quàm his molestus essem futurus, nihil aliud egerunt, nisi me ut opprimerent. Quod ego non suspicans, incautior fuisset, nisi à te admonitus essem. Quā obrem iste tuus amicus apud me cōmendatione non eget. Utinam ea fortuna Reipub. sit, ut ille me quàm gratissimū possit cognoscere. Sed hæc hætenus. Te ad cœnas stare desisse moleste fero. Magna enim te delectatione & voluptate priuasti. Deinde etiam vereor (licet enim verū dicere) ne nescio quid illud, quod solebas de discas, & obliuiscare cœnulas facere. Nā si tum, cum habebas quos imitaret, non multum proficiebas, quid nunc te facturum putem? Spurina quidem, cum ei rem demonstrassem, & vitam tuam superiorem exposuissem, magnū periculum summæ Reipub. demonstrabat, nisi ad
supe-

superiorem consuetudinem tuam, cum Favonius flares, reuertisses: hoc tempore fieri posse, si forte tu frigui ferre non posses. Sed mehercule, mi Pæte, extra iocum moneo te, quod pertinere ad beate viuendum arbitror, ut cum viris bonis, incundis, amantibus tui viuas. Nihil est aptius vitæ, nihil ad beate viuendum accommodatius. Nec id ad voluptatem refero, sed ad communitatem vitæ, atque victus, remissionemq; animorum: quæ maximè sermone efficitur, familiari: qui est in conuiuijs dulcissimus, ut sapientius nostri quam Græci illi συμπόσια, aut σὺνδείπνα, id est, compotationes: aut concœnationes, nos conuiuia: quod tum maximè simul viuunt. Vides ut te philosophando renocare coner ad cœnas? Cura ut valeas. Id foris cœnitando faciliè consequere. Sed caue, si me amas, existimes me, quod iocosius scribam, abieçisse curam Reipub. Sic tibi, mi Pæte, persuade, me dies et noctes nihil aliud agere, nihil curare, nisi, ut mei cines salui, liberiq; sint. Nullum locum prætermitto monendi, agendi, providendi. Hoc denique animo sum, ut, si in hac cura, atque administratione vita mihi ponenda sit, præclare actum mecum putem, etiam atque etiam Vale.

M. T. C. IMP. PAPIRIO PAETO

S. D. 25.

Summum me ducem literæ tuæ reddidere. Plane nesciebam te tam peritum esse rei militaris. Pyrihi te libros, & Cinea video lectitasse. Itaq; obtemperare cogito præceptis tuis: hoc amplius, nauicularū habere aliquid in ora maritima. Contra equitem Parthum negant vllā armaturā meliorem inueniri posse. Sed quid ludimus? nescis, quo cū Imperatore tibi negotium sit. Κόγξ παρδείαρ

R +

quam

EPIST. FAM.

quam contriueram legendo, totam in hoc imperia explicauit. Sed iocabimur alias coram, & ut spero, breui. Nunc ades ad imperandum, vel ad parendum potius, sic enim antiqui loquebantur. Cum M. Fabio (quod scire te arbitror) summus mihi est usus: valdeq; cum diligo, cum propter summam probitatem eius, ac singularem modestiam, tum quod in his controuersis, quas habeo cum tuis combibonibus Epicureis, optima opera eius uti soleo. Is cum ad me Laodiceam venisset, mecumq; cum ego esse vellem, repente percussus est atrocissimis literis: in quibus scriptum erat, fundum Herculanensem à Qu. Fabio fratre proscriptum esse, qui fundus cum eo communis esset. Id M. Fabius pergrauiter tulit, existimauitq; fratrem suum hominem non sapientem impulsu inimicorum suorum eo progressum esse. Nunc si me amas, mi Pate, negocium totum suscipe: molestia Fabium libera. Autoritate tua nobis opus est, & consilio, & etiam gratia. Noli pati litigare fratres, & iudiciis turpibus conflictari. Mathonem & Pollionem inimicos habet Fabius, quid multa? non mehercule tam perscribere possum, quam mihi gratum feceris, si ociosum Fabium reddideris. Id ille in te positum esse putat, mihiq; persuadet. Vale.

M. T. C. PAPIRIO PAETO

S. P. D. 25.

Accubueram hora nona, cum ad te harum exemplum in codicillis exaravi, dices, ubi? apud Volūnium Eutrapelum, & quidem supra me Atticus, infra Verrius, familiares tui. Miraris tam exultatam esse seueritatem nostram? Quid ergo faciam? te consulo, qui philosophū audis. Anger? excruciem ne me? quid asse-

quar

quar? Deinde quem ad finem? Vinas, inquis, in literis.
 An quicquam me aliud agere censes? Haud possem vi-
 uere, nisi in literis viverem. Sed est earum etiam non
 satietas, sed quidam modus. A quibus cum discessi, etsi
 minimum mihi est in cœna, quod tu tuum. Intinpe
 Dioni philosopho posuisti: tamen quid potius faciam,
 prius quam me dormitum conferam, non reperio, audi
 reliqua. Infra Entrapelum Cytheris accubuit. In eo igitur,
 inquis, conuiuio Cicero ille, quem aspectabant? cu-
 ius ob os Gray ora obuertebant sua? Non meherculè su-
 spicatus sum illam affore: sed tamen ne Aristippus qui-
 dem ille Socraticus erubuit, cum esset obiectum habere
 eum Laida. Habeo, inquit, Laida: non habeor à Lai-
 da. Gracè hoc melius: tu si vales, interpretabere. Me
 verò nihilistarum ne iuuenem quidem monuit unquam,
 nedum senem, conuiuio delector, ibi loquor aliquid,
 quod in solum, ut dicitur, & gemitum, & in risus maxi-
 mos transfero. An tu id melius, qui etiam philosophum
 irriseris? Cum ille, si quis quid quereretur, dixisset, cœ-
 nam te querere à me dixeris. Ille verò te putabat quæsi-
 turum, num vnum cœlum esset, an innumerabilia.
 Quid ad te? At herculè cœna nunquid ad te? ibi præ-
 sertim. Sic igitur viuunt: quotidie aliquid legitur, aut
 scribitur, deinde ne amicis nihil tribuamus, epulamur
 vna non modo non contra legem, si vlla nunc lex est, sed
 etiam intra legem, & quidem aliquando: qua-
 re nihil est quod aduentum nostrum extime-
 scas. Non multi cibi hospitem ac-
 cipies, sed multi ioci.
 Vale.